

latur ei, hoc convenit intellectui, qui quandoq; est in potentiâ quia per hoc quod est in potentiâ, differt ab intelligibili & assimilatur ei per speciem intelligibilem, quæ est similitudo rei intellectæ & perficitur per ipsam, sicut potentia per actum: Sed intellectus divinus, qui nullo modo est in potentiâ, non perficitur per intelligibile, neq; assimilatur ei, sed est sua perfectio & suum intelligere.

§. 14. Supposito ergò dari objectum secundarium scientiæ divinæ, porrò quæritur, quod duplex illud? ut tot duplex etiâ scientia divina constituatur secundum nostrum concipiendi modum. Hic jam dissentiunt autores, aliis duas, aliis tres constituentibus classes, & per consequens illis duplicem, his triplicem ponentibus scientiam divinam. Qui tria faciunt objecta secundaria divinæ scientiæ, ita procedunt: Antequam quicquam ex statu meræ possibilitatis in actum objectivum à Deo educeretur, necessariò sese menti divinæ fistebant omnia quæ nullam contradictionem & repugnantiam essendi importabant. Ex horum numero Deus elegit quædam & absolutè determinavit illa in actum entitativum aliquando deducere. Simul autem intuitus est quædam, quæ quidem non erant determinatè futura & absolutè decreta, nihilominus tamen si hæc vel illæ circumstantiæ applicarentur à creaturis libere agentibus, extra causas essent ponenda. v. g. Vidit Deus ab omni æternitate quod Tyrii, si ipsis signa illa obtigissent, pœnitentiam fuerint acturi, licet hoc nunquam futurum esset absolutè. Ex diversa terminatione ad triplicia hæc objecta secundaria scientia divina ab his Authoribus constitui solet triplex.

§. 15. Sed lubet ipsa verba horum Authorum de triplici hac scientia in medium afferre. *Martinus Becanus Theol. Schol. tom. 1. tr. 1. c. 10. q. 1. concl. 1. p. m. 23. Triplex, inquit, in Deo scientia constitui potest. Una merè naturalis: altera merè libera, tertia media. Naturalis est quâ Deus ab æterno ante omne liberum decretum voluntatis cognovit res omnes possibles. Libera, qua post decretum suæ voluntatis, absolutè & determinatè cognovit omnes res futuras. Media, quâ ab æterno non absolutè, sed sub conditione cognovit, quid homines & Angeli facturi essent, pro sua libertate, si cum his vel illis circumstantiis in tali vel tali rerum ordine collocarentur. Una ergo possibilem scientia est: due futurorum. Et earum altera conditionata, altera absoluta. Rationem hujus denominationis dant hanc: Scientia merè naturalis dicitur tum quia omnem li-*
B berum